



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 86. Hujus Cardinalis historia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæc. XVI.
A.C. 1563.

cilli res commendabat, cumque plura addere pararet, corporis imbecillitate prohibitus cunctos adstantes, qui in lacrimas effundebantur, revocatis omnibus viribus his Divi Pauli verbis alloquebatur: *quare contristamini, quasi in vobis non sit spes?* His dictis placide exspirabat.

§. LXXXVI.

Hujus Cardinalis historia.

Hic idem Cardinalis Anno Christi millesimo quadringentesimo nonagesimo tertio die sexta Maji patria Neapolitanus Trojæ in Apulia natus erat ex Joanne Ferrando, seu Ferdinando, & Isabella, seu Loyfia Galeotta, quos *ex nobili familia* ortos refert Pallavicinus. Acceperat in sacro fonte Hieronymi nomen, ac in omni Christianæ pietatis exercitio educatus, cum ad Religiosam militiam propensum semper haberet animum, Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo sexto die vigesima octava Septembris S. Dominici Institutum amplectebatur, altera autem die ab Antonio Fratre suo vi e monasterio extractus, ab eodem ad paternas ædes reducebatur, ut sua prosequeretur studia, quorum juvenis adhuc Magistrum habebat celebrem Pomponatium: cum vero in suo Religiosæ vitæ proposito

Ciaccon. in vita Pontif. t. 3. p. 905. Pallav. n. 7. & 8.

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

constans perfisteret, præclara Ægidii Viterbiensis fama accitus Ordinem Fratrum Eremitarum S. Augustini die sexta Maji Anno Christi millesimo quingentesimo septimo, ætatis vero suæ decimo quarto ingressus est, ibidemque summa solertia literis vacans, in Hebraici, Caldaici, Græci, & latini sermonis peritia excelluit, necnon in Philosophicis disciplinis subtilitate, atque in Theologicis profunditate eminuit: tandem in Bononiensi Universitate usque ad Doctoratus lauream ascendens adeo ingentem nominis sui laudem sibi comparabat, ut in Ordinis sui comitiis, quæ Neapoli Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono celebrabantur, Generalis Magister eligeretur, postea vero a Carolo V., cui hujus Viri merita probe erant perspecta, ad Flandros Legatus decernebatur, atque ab eodem Sacellanus, demum vero Archiepiscopus Salernitanus nominabatur, cujus quoque Sedis possessionem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto accepit: cum vero adhuc Ordinis sui Magister Generalis esset, sub Paulo III. Pontifice Tridentino interfuit Concilio, præter ceteros in eo selectus, ut abusus circa Sacras literas deprehensos scripto indicaret. Denique a Pio IV. qui

Sæcul. XVI.
A. C. 1563.

qui ejus doctrinam, ac pietatem plurimi habebat, ineunte anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo primo purpura decoratus ad Synodum, ut memoravimus, tanquam Legatus decernebatur. Corpus ejus Neapolin translatum in Ecclesia Ordinis sui sepultum est.

Scriptis doctissimum plane commentarium in Epistolas Divi Pauli, necnon in epistolas Canonicas, præter Evangelii explicationem per totum verni jejunii tempus: reliquit etiam posteris quosdam libros de peccato originali, & justificatione, ac quæstiones contra ævi sui hæreticos, necnon chronologicam Ordinis sui Synopsin edidit. Porro ejus memoriam Eruditorum plurimi celebraverunt.

Aliquot diebus ante hujus Cardinalis obitum Tridenti inter cujusdam Galli Præsulis, & alterius Hispani Episcopi domesticos contentio oriebatur, quæ funestum fortiebatur exitum: quippe ceteri utriusque Nationis famuli suos socios aut vindicaturi, aut adjuturi confluerant, quapropter tanta armorum frequentia concursum, ut conflictus potius, quam rixa videretur, pluribus aut occisis, aut vulneratis. Hoc facto permoti Patres, quod sedulo executioni dabatur, promulgabant edictum,

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

vi cuius nonnisi nominatis quibusdam Oratorum famulis arma deferre permiffum: jubebantur autem Magistratus exactum conſcribere indicem illorum, quibus hoc privilegium concederetur: hi vero, ne fraus fieri poſſet, certo ſigno notabantur. Hoc denique privilegium ob ſingulares juxta, ac neceſſarias cauſas cunctis Lotharingii Cardinalis famulis concedebatur, reliquis autem omnibus, quorum nomina a Magistratibus non fuerant deſcripta, ſub graviffimis pœnis arma erant interdita: quemadmodum vero efficaciffima legum ratio eſſe ſoleat Legislatorum exemplum, ita ipſimet Legati præ ceteris ſui decreti obſervationem a ſuis famulis inchoari voluerunt: hoc igitur pacto tumultus fuere extincti, ac die poſtera decima ſexta Martii Conventus denuo habiti plurimum autem ad revocandam tranquillitatem conferebat Cæſaris edictum, quo omnes, quicumque in rixa vel alteratione deprehenderentur, Tridento exulare jubebantur.

§. LXXXVII.

Cæſaris literæ ad Papam, & Legatos per Quinqueeccleſienſem Epiſcopum allatæ.

Interea Cætibus licet interruptis nihilominus Synodi negotia continuabantur,